



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXIII. Argumentum. Duo sunt cardines, super quibus volvitur hæc Decisio: Causæ scilicet, ex quibus oritur Pestis: & remedia ad ipsam vel evitandam, vel fugandam. Causæ aliæ sunt naturales, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

dicis non existentibus, cogi potest ad medendum, ut firmat Zacchias d. consil. 71. num. 26. quæ si vera sunt, prout verissima circa periculum salutis corporalis, quanto magis verificari debent circa Medicos animarum, quando in periculo salutis spiritualis sunt constitutæ?

DECISIO LXXIII.

ARGUMENTUM

Duo sunt cardines, super quibus volvitur hæc Decisio: Causæ scilicet, ex quibus oritur Pests: & remedia ad ipsam vel evitandam, vel fugandam. Causæ aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales. Illæ, corruptio aëris, & contactus rerum peste infectarum. Hæ, hominum flagitia. Aer corrumpitur novem secundariis causis hic relatis. Contactus inficit irreparabiliter, ut ex adductis exemplis. Pestilentia mitti à Deo ob peccata hominum probatur Scriptura Sacra, & Historiis. Remedia vel sunt humana tum ad medendum, tum ad præservandum à Peste, quorum plura notantur, præcipue in administrandis Sacramentis peste infectis; vel sunt remedia cœlestia, nempe intercessio Deiparæ, S. Sebastiani, S. Rochi, & aliorum Sanctorum, de quibus eruditiones variæ, & jucundæ. Historia Templi Sanctæ Mariæ Salutis Venetiarum, & translationis Imaginis Deiparæ in Ecclesiam P. Carmelitarum Civitatis Paduæ.

SUMMARIUM.

- 1 Aeris corruptio, & contactus rerum peste infectarum sunt causa pestis.
- 2 Pestilentia à sola aëris corruptione procedat?
- 3 Variola, & morbilli contrahuntur à pueris ab aëre corrupto.
- 4 Halitus pestiferi inficit alios peste.
- 5 Aer corrumpitur, & fit pestifer ob novem causas hic relatas.
- 6 Arborea vicini nociva vicino de jure incidenda.
- 7 Serici artifices expelli possunt à vicinis ob malum odorem.
- 8 Cadavera insepulta tam hominum, quam brutorum causant Pestem.
- 9 Contactus rerum peste infectarum est causa pestis.
- 10 Annulis illitis venenato liquore Mediolani, ac Venetiis introducta pestis.
- 11 Mercium peste infectarum contactu pestis diffunditur.
- 12 Morbus gallicus, Phthisis, & lepra contrahuntur ex contactu.
- 13 Hercules peste infectus, à veste pestiferata.
- 14 Intuentes pestiferatos vel eorum cadavera peste inficiuntur.
- 15 Panis, ac Vinum non contrahunt pestem ex contactu.
- 16 Peccata hominum causa supernaturalis pestilentie.

- 17 Pharaonis obstinatio causavit pestem in Aegypto.
- 18 Pests tempore David ob ejus vanagloria peccatum.
- 19 Sextilia Virginis Vestalis ob incestum pestis grassata est Roma.
- 20 Pests in Africa anno 170. in ultionem Sanguinis Christiani.
- 21 Pests maxima anno 255. ob flagitia Paganorum; & alia sequentium annorum ob peccata hominum.
- 22 Sagitta misse de Cælo vulnera pestilentialia inflixerunt, anno 590.
- 23 Remedia contra Pestem alia naturalia, alia supernaturalia.
- 24 Fuga à locis peste infectis remedium optimum.
- 25 Ignis jugiter ardens est remedium contra pestem.
- 26 Odonamenta bona tempore Pestis adhibenda.
- 27 Animalia domestica in peste non permittantur in vicinas domos transire; vel ex vicinis in proprias edes venire.
- 28 Cibi, ac potus qualitas, & quantitas attendenda tempore Pestis.
- 29 Lampreta, & columbi comesti præservant à peste.
- 30 Aquavite tempore pestis pessima.
- 31 Somnus, ac Vigilia non sint nimii in peste, Alvus sit fluidus.
- 32 Coitus grassante peste omnino fugiendus.
- 33 Mediocritas in omnibus observanda.
- 34 Passiones animi moderanda. Metus, ac tristitia ableganda.
- 35 Mundities in corpore, & vestibus servanda.
- 36 Frumentum, ac nuces masticata sanant bubones pestiferos.
- 37 Vena Sectio, ac sanguinis minutio an juvet peste infectos?
- 38 Cautela octo servanda à Parochis, & Sacerdotibus in Sacramentis ministrandi tempore pestis.
- 39 Virgula oleo sancto intrinsecta potest dari Extrema Unctio peste infectis.
- 40 Res, & donaria non recipienda tempore pestis à quocunque.
- 41 Deipara, ac Sanctorum intercessio imploranda, dum pestis ingruit.
- 42 Sancti in Cælo quomodo sciunt necessitates mortalium?
- 43 Exempla protectionis Deiparæ in peste fugienda.
- 44 Joannes Palatinus Venetus laudatus.
- 45 Venetiarum Civitas à peste liberata anno 1631. ope Deiparæ, cui Respublica vovit lychnum aureum, & Templum nobilissimum.
- 46 Padua à peste liberata anno 1576. ex Deiparæ clementia; quæ suam imaginem in Templo Carmelitarum transferri voluit.
- 47 Gabriel Georgius Senator Venetus Procurator S. Marci laudatus.
- 48 S. Sebastiani Martyris protectio valida contra pestem.
- 49 Decurionum Romanorum annua oblatio S. Sebastiani.
- 50 Sancti qua de causa excellant in adjuvandis fidelibus circa varias infirmitates?

- 51 *S. Sebastiano cur datum à Deo protegere peste infectos?*
 52 *S. Rochus Confessor protector tempore pestis.*
 53 *Altare, & Ecclesia S. Rochi quando Padua constructa?*
 54 *Monialium S. Petri Padua annuum votum solutum S. Rocho.*
 55 *Sancti, qui contra pestem invocantur, & suam opem præstant.*

Cum egerimus supra de obligatione Parochorum, ac Sacerdotum simplicium tam Sæcularium, quam Regularium administrandi Sacramentum Extremæ Unctionis peste infectis, non erit inutile in præsentī explicare causas, à quibus, ut plurimum, pestis procedat, & docere remedia salubriora adhibenda à quocunque, dum pestilentia grassatur, Et equidem.

Quò ad causas, hæ sunt in duplici genere, aliæ scilicet Naturales, aliæ Supranaturales. Inter causas naturales recensentur à Medicis, corruptio aëris, & contactus physicus rerum peste infectarum. Aer corruptus est causa principalis, ac primaria pestilentiae; eñ enim discordes in hoc sint
 2 Medici, volentes alii, quòd pestis semper procedat à contagio, idest à contactu rei pestiferæ; alii verò ab aëris corruptione; hæc opinio reputatur verior, quia cum ex necessitate, ut vivamus, cogamur attrahere aërem respirando, & is tunc corruptus sit, illum in nos ipsos tanquam præsentaneum aliquod venenum ingerimus, ut testatur Galenus in *libr. de Theriac. ad Pison. cap. 16. class. 5.* & docent Hercul. de *Febrib. tract. 4. cap. 1. & 3.* Mercatus *libr. 3. de Morb. part. 1. class. 1. quæst. 176. art. 4. num. 30.* Mercurial. *Pract. libr. 1. cap. 17.* quibus adheret Zacchias in *Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 8. tit. 3. q. 1. num. 12.* ubi ita scribit: *Sciendum igitur veram Pestem semper, & quandocunque ab aëris corruptione dependere, neque fieri ullo modo posse, ut ab alia causa valeat immediate originari.* Quod etiam probat alia ratione, & exemplo. Ratio est, quia qui primi peste inficiuntur, nequaquam per contagium inficiuntur, quia cum sint primi, nullus dari potest ante eos, à cuius contactu possint ipsi contrahere pestem; idcirco sequitur, quòd peste inficiantur suscipiendo in seipios putredinem aëris corrupti per respirationem. Exempla sunt de Morbillis, ac Variolis, quæ ex aëris corruptione procedentes vagantur per civitates, & loca, plurimosque pueros interimunt, quamvis hi à quocunque contactu aliorum infectorum abstineant: & tunc cessat talis pestiferus influxus, quando aër purgatur, & purificatur; idemque frequenter experimur in morbis pestilentialibus brutorum, quos terminare absque alio remedio, nisi ex purgatione aëris, videmus. Aliud exemplum sumi potest ab illis; qui pestem contrahunt ex solo halitu infirmi contagioso morbo laborantis; siquidem per respirationem huius inspiratur aër corruptus in cor assistentium, & illum in se attrahentium; ut notat idem Zacchias *d. tom. 1. lib. 3. tit. 3. q. 2. nu. 12.* qua de causa cauti esse debent Parochi, alique ministrantes infirmis viscera corrupta, ac putrida habentibus, ne eorum halitum in se attrahant, & intra se immittant; est enim quid pestilentialiale, cum ex eodem halitu corrumptur aër, quem respirando ipsi assistentes in sua pectora assumunt.

Sed dicet aliquis, corruptio aëris ex quibus pro-

Doct. Clericali Tom. I. Lib. I.

cedit? & quæ sunt causæ producentes aëris corruptionem? Respondetur, eas esse sequentes. I. Cloacæ, idest loca concava colluvies magnas immunditierum recipientia, ex quibus magna copia exhalationum, & putredinosorum vaporum elevatur. II. Horrea, seu granaria frumentaria, quæ potissimum in subterraneis foveis excavantur, à quibus, cum aperiuntur, pessimus odor exhalat. III. Horti multiplicibus elevatis plantis onustis, nam ex ipsis exhalationes prævæ proficiuntur, prout etiam ex eorum stercoreatione, & continua irrigatione; ex utraque enim aër fit humidior, ac nocivus, & facillimè putredinem accersit, adeò ut illum inspirantes promptissimè putridas febres concipiant, obstructions, cachexiam hydropem, & alios huiusmodi morbos, ut observare sæpè licet in ipsis hortorum cultoribus. IV. Pomaria, si ex altitudine, & densitate arborum Solis illustratio impediatur, nam aër redditur frigidior, humidior, & propensior ad corruptionem; unde factum est, ut liceat mihi *ex l. 1. ff. de arbor. caden. cædere te invito arborem in pomario tuo sitam, ac domui meæ umbram facientem.* V. Prata quoque insalubrem aërem reddunt ob nimiam eorum humiditatem. VI. prout etiam fornaces ad calcem excoquendam, tum quia aërem notabiliter excalefaciendo, illum æstuolum reddunt, & suffocantem, tum etiam quia evaporationes à calce sublata labefactant ipsum aërem, qui inspirantium pectoribus maximè noxius evadit. VII. Sterquilinia putridos vapores assidue exhalantia, & aërem graviter inficiantia, quibus parùm dissimilia sunt stabula, præcipuè si in eis magna fimi quantitas asservetur. VIII. Artes quædam immundæ, & malè olentes, quales sunt Coariaria, struens chordas ex animalium intestinis pro instrumentis musicis, fabricans candelas seviceas; ac etiam sericum ex bombycibus, ex quorum putrefactione, indefinens exhalationum graveolentium copia elevatur, aërem ita corrumpeus, ut ex hac sola serici arte non semel excitatam esse pestem testetur ex Gratiolo Collin. *Pint. de Peste part. 1. cap. 17.* & prædictos artifices, ob malum odorem, quo vicinos offendunt, posse à domibus expelli, docet Capoll. *de Servit. Urban. Prædior. cap. 48. num. 6.* IX. Tandem cadavera tum hominum, tum brutorum insepulta adeò aërem corrumperunt, ut ex huiusmodi causa pestis irreparabiliter insurgat, experientia teste, quæ ubi bellici conflictus inter magnos exercitus sunt, nisi statim cadavera occisorum sepeliantur, aërem infici ex eorum fæcore, & pestilentiam sequi pluries ostendit; ut in historiis legitur, & præcipuè apud Raynald. in *Annalib. Eccles. agentem de peste, qua in Oriente periit exercitus S. Ludovici Regis Franciæ Anno 1250. num. 5.* & de consimili Romæ in exercitu Friderici Imperatoris apud Spondanum *Anno 1167. num. 2.* Et quod magis est, etiam ex cadaveribus minimorum animalium (qualia sunt locustæ) insepultis per campos, aërem esse corruptum, & pestem excitatam in Africa scribat Sallianus *ad Ann. Mundi 3929. num. 4. & 5.* in qua unum millionem hominum, & ultra periisse Livius, & Orosius testantur. Quod & alibi sæpè evenisse ait Zacchias in *Q. Q. Medicoleg. tom. 2. lib. 9. tit. 6. q. Unic. num. 4.* à quo descriptæ sunt supradictæ novem causæ corruptionis aëris *tom. 1. libr. 5. tit. 4. q. 7.* ubi de iisdem copiosè disserit, vocans illas pestis causas remotas,

T 2

Altera

Altera causa naturalis, & quidem præcipua, qua contrahitur Pests, est contactus physicus rerum peste infectarum; ex quo pestis ipsa sortita est nomen contagii, & morbus contagiosus vocatur, ut notat Idior. *Etymolog. lib. 4. Ripa in tract. de Peste part. 2. num. 11. Septal. eod. tract. libr. 1. cap. 28.* Et plurimi Medicorum, quos allegat Zacchias *d. tom. 1. libr. 3. tit. 3. q. 2. num. 17.* dicens, apud eosdem, Pestilens, Putridum, & Contagiosum converti, itaut non possit unum absque alio inveniri. Porro adeo vehemens est causa ista ad inducendam Pestem, ut idem Zacchias *ubi supra num. 18. & 19.* ex probatis auctoribus referat, olim excitatam fuisse sævissimam pestem Venetiis, ac Mediolani per impios, ac nefarios homines, illitis tantum venenatis, ac pestiferis medicamentis ostiorum annulis, seu pessulis, quibus contactis Pests venenum à tangentibus hauriebatur, & ea infectos postmodum inficiebant: & quod magis est, idem Auctor ibidem *num. 20.* subdit, exemplum de quodam infirmo peste infecto, qui recens ovum manu apprehensum retinens, non multo post illud lividum, & putridum deponebat, & quod mirabilius est, eodem ovo in mensa opposito, & illi altero propè adjuncto, pari modo ex primo secundum, ut primum ex agro inficiebatur.

Hinc per contactum vestium peste infectarum, & aliarum rerum materialium, pestilentiam diffundi per integras urbes, ac provincias notum est, & plura testimonia refert Schenck *lib. 7. observat. tit. de Pest. & ipsemet Zacchias eod. tom. 1. libr. 2. tit. 2. q. 11. num. 13. & 14.* ubi hæc ait: *Dum hæc scribo, vulgatum est, Panormi pestem concitatam ex lana eo delata, quam Turcis Christiani ademerant: unde & hic Roma communicare timent, quia eandem lanam huc mercatores nonnulli invehendam, nescii credo ejus rei, curarunt.* Et prosequitur, hanc causam contactus confirmare exemplis morbi gallici, phthisis, ac lepræ, quibus morbis, tantum quam pestilentialibus afficiuntur ii omnes, qui vestes, tegumenta, & alia utensilia infectorum, imò & cellas, & cameras, & cubicula, ante corrosos muros sibi appropriant, ac tangunt. Unde, & de Hercule narrat Ovidius *lib. 9. Metamorph.* & repræsentat Seneca in *Tragædia inscripta Hercules Oeteus*, quod cum sacrificium Jovi celebrare vellet, & pallam à Dejanira sibi missam sanguine Nessi Centauri imbutam induisset, veneno infectus est, ob cujus sævitiam se in monte Oeta combussit. Tandem addit cit. Zacchias *d. libr. 3. tit. 3. q. 2. num. 19.* tantam esse vim contagii in inficiendo, ut non solum contactu, sed etiam ex sola inspectione, quam quis habuit in infirmum peste infectum, & alius in cadaver peste extinctum, pestem contraxerit, ex testimonio Fernelii, Cardani, & aliorum Medicorum ibi citatorum.

Unum hic repetendum censeo, (ut scripsi supra *Decif. IV. num. 10.*) quod mihi dicebat Reverendissimus Pater, ac Magister Mathæus Veglenis, venerandæ memoriæ, olim Theologiæ Scholasticæ in viam Scoti Primarius Professor in hoc publico Gymnasio Patavino, dum ejus essem discipulus, videlicet, panem, ac vinum non contrahere pestem ex contactu; ideo anno 1630. grassante pestilentia in hac urbe Antenorea, ipse Theologus à servo suo recipiebat panem manu propria, & ponebat in suo canistro; vinum pariter præcipiebat infundi in proprium urceolum; itaut ne-

que hunc, neque canistrum permetteret tangentium famulo; ajebat enim, canister, & urceolus sunt subiecti contagio; non etiam panis, ac vinum. Sicille. An verum sit? neque affirmo, neque nego. Ita ipse practicasse assererat, & se immunem à peste servavit. Hæc de causis naturalibus, à quibus Pests prodire solet.

Causæ supernaturales producentes flagellum pestilentie sunt peccata hominum, quibus excitatur Divina justitia ad vindictam, & ad eorundem nominum peccantium punitionem, ut scripsi in meis Decisionibus Miscellaneis *Decif. 17. num. 3. in fine.* Plura de his habentur exempla tum in Scriptura Sacra, tum in prophanis Historiis. In illa ingens fuit pestis, qua Deus percussit animalia Egyptiorum ob duritiem Pharaonis nolentis dimittere Hebræos juxta Dei monita; unde ipse Deus Moyse præcepit, *Exod. 9. 3.* ut diceret Pharaoni: *Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves pestis valde gravis.* Quo loci subdit Cornelius à lapide, *Quam pestem ego manu, & potestate mea sola, non Moyse, nec Aaronis immitram, inficiendo aerem, & corporas est enim pestis venenosus quidam vapor in aere concretus, vitali spiritui inimicus.* Quam autem sæva fuerit pestis hæc inter Egyptios notat Titinus in *Commentar. ad Amos cap. 4. 10.* dicens: *Agente Moyse pestis exarsit tam gravis, ut ea extincti sint non modo homines, sed & equi, asini, camelus, ceteraque animantia Egypti.*

Aliud exemplum pestilentie magnæ à Deo missæ narrat Scriptura Sacra *2. Reg. 24. 15.* ubi in poenam vanitatis, ac superbiæ Regis David, qui numerare fecerat populum sibi subditum, immisit Dominus pestilentiam in Israel de mane, usque ad tempus constitutum; idest usque ad tempus immolandi jage sacrificium, hoc est ad horam prandii; adeo ut pestis grassata sit per sex tantum horas; & nihilominus per hoc breve temporis spatium, mortui sunt ex populo, à Dan usque ad Bersabee, septuaginta milia virorum. Sed quia David poenitabat peccati sui; Dixitque ad Dominum, cum vidisset Angelum cadentem populum, Ego sum, qui peccavi, ego inique egi &c. misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. Angelus autem se ostendit David vultu truci, & igneo, cum stricto gladio, quasi minans adhuc populum fecire, ut ajunt Abulensis, Salianus, & alii. Ex his itaque exemplis constat, Pestem à Deo immitti in vindictam culparum, quæ ab hominibus absque rubore contra ejus legem committuntur. Hanc causam agnovere etiam Gentiles, ut scribit S. Augustinus *lib. 3. de Civit. Dei cap. 17.* quapropter Anno mundi 3778. & ante Redemptoris adventum Anno 275, cum Sextilia Virgo Vestalis commississet incestum, Romæ grassata est pestis, abortusque foeminarum. Ad quem annum hæc subjungit Salianus in fine: *Observa, pie Lector, quantum flagitium Romani exstimator violatam corporum Deo consecratorum pudicitiam, quando Vestalis unius culpam tot publicis malis crederent vindicatum.*

In Historiis autem facile est studiosis reperire hoc Dei flagellum, quo ab ejus ira homines impii vapulabant. Recensere hic liceat luem magnam, ac universalem quæ totam Africam, ac Italiam vexavit Anno Christi 170. & præcipue Romanum Imperium, in ultionem, ut ait ibidem Salianus, sanguinis christiani, quem crudelissimi Imperato-

res ibique effundebant. Consimilem punitionem fecit Deus scelorum Gentilium Anno 255. quo coepit est immanis illa pestilentia, quæ universum
 21 ferè depasta est orbem, & vix post decennium quievit, ut narrant Scriptores tam Ethnici, quam Catholici, quos cumulat Eminentiſſ. Card. Baronius ad dictum annum; qui subindè Anno Christi 484. prosequitur narrare incredibilem famem, secutamque ſaviffimam pestem, quæ in ultionem offensa Divinitatis, in Wandalica Catholicorum persecutione, sub Hunerico crudeliſſimo Tyranno, Arij Sectatore, totam Africam una depopulatione vastavit. Subſequitur graviffima alia Divina puni- tio ob scelera mortalium in illa pestilentia, quæ immiſſa est à Deo per Angelos malos tempore Juſtiniani Imperatoris, & totum orbem invaſit, ac afflixit quinquaginta duos annos, ut fuſe deſcribunt Hiſtorici, & Annalium Auctores ad annum Christi 544. cui ſubſecuta eſt Romæ immanis illa peſtis cœlitus immiſſa ex ira divina, Inguinaria nuncupata, de qua Card. Baronius, & Spondanus ad annum Christi 590; in qua quidem viſibiliter conſpicebantur ſagitta de cœlo immiſſa, quæ
 22 homines vulnerabant ad mortem; ut teſtificatus eſt etiam S. Gregorius Papa *Dialog. libr. 4. cap. 36.* his verbis: *In hac peſtilentia, qua hanc Urbem clade vehementiſſima depopulavit, in qua etiam corpora li viſa ſagitta cœlitus venire, & ſingulos quoſque ferire videbantur.* Ceſſavit autem poſt aſſumptio- nem ad apicem Pontificatus iplius Divi Gregorii Magni, qui inſtituit Litanias, & publicas Proceſſiones ad Baſilicam Sancti Petri; in quibus cùm ipſe quoque Summus Pontifex incederet, geſtans imaginem Deiparæ à S. Luca depictam, vidit Angelum in ſummitate molis Hadriani, Tiberi adjacentis, reponere ſuum gladium in vaginam, in reconciliati Numinis ſignum, ut ex eodem Card. Baronio d. Anno 590. tranſcribit Cornelius à Lapide d. libr. 2. Reg. cap. 26. verſ. 15. ubi proſequitur referte plurimas alias peſtilentias ob ſce- lera, & iniquitates humanas à Cœlo immiſſas; eſt enim extra omnem controverſiam, quod licet cauſa naturalis peſtis ſit aeris corruptio, & con- tactus rerum infectarum; ſupernaturalis tamen tanti flagelli cauſa ſunt hominum ſagittia. Hæc de primo puncto, ideſt de cauſis Peſtilentia.

Quo ad Secundum, nempe de Peſtilentia reme- diis, hæc pariter ſunt in duplici differentia; ſci-
 23 licet alia naturalia, alia ſupernaturalia. De reme- diis naturalibus non pauca dixi in meis De- cisionibus *De Venerab. Euchar. Sacram. Decis. 61.* à num. 35. ſeqq. ad quem locum remitto Lecto- rem; ſed præter remedia ibi relata hæc, quæ ſe- quuntur, non pigeat edſcere, & obſervare.

Primum eſt vel fugere ab aere corrupto, vel il- lum igne ſollicitè purificare, ac reſtificare. De fuga ita ait Zacchias d. tom. 1. libr. 3. tit. 3.
 24 q. 4. num. 5. *A peſte igitur unusquiſque ſe immu- nem ſervabit, ſi ab aere peſtilenti longè auſugiat, tritum enim eſt quod jaſtatur, citò ac longè fuget & tardè redit; ut omnes Medici concludunt: quos hîc allegat, nec non Ripam de peſte part. penult. num. 53. Quod ſi fuga ſit impoſſibilis, ſubdit idem Zacchias ibid. num. 8. Focus aſſiduus, & per-
 25 enni luceat igne, cuſus tanta vis in peſte, ut Hip- pocrates, quemadmodum notiſſimum eſt, hoc uno remedio peſtem aliquando Athenis abegerit; & Acron eodem Auxilio Agrigentum ab eadem calami- tate liberaverit. Quod repetit idem Auctor in*

tom. 2. libr. 9. tit. 6. quaſt. Unica num. 9. ſic ſcri- bens: Scimus enim tempore peſtilenti non alio inge- nio aerem reſtificari, quam accenſis per loca, & ur- bes ignibus; eoque ingenio Hippocratem peſtem ex Athiopia in Graciam ſe conferentem repulſiſſe narrat Galenus libr. de Theriaca ad Piſonem cap. 16. Quod etiam Acronem Agrigentum præſtaſſe refert Aetius ſerm. 5. cap. 54.

Secundum remedium eſt uſus bonorum odo- rum, quibus cerebrum per olfactum confortetur; unde ſubdit Zacchias prædict. tom. 1. libr. 3. tit. 3. 26 q. 4. num. 8. *In ignem, ſi fieri poſſit, odoramenta nonnulla injiciantur juxta temporis qualitatem.* Et paulò poſt: *Æſtate ſtoribus odoriferis, aquis item odoriferis deſtillatis, & aceto roſaceo pavimen- ta irrorentur, dummodo flores corruptionem genera- re non valeant, cùm putreſcant.* De hoc remedio diſſerit etiam P. Menochius in *Storici part. 3. cen- tur. 6. c. 54.* ubi cùm oſtendiſſet abundantiam un- guentorum odoriferorum, quibus utebantur anti- qui, ſubdit: *Che ſe alcuno di mandata per qual ca- gione, & à che ſine foſſe introdo to tanto, e così eſquiſito uſo de gl'unguenti, riſpondo, che per ſa- nità, e per delittia. Delle delittie non ſi può dubita- re; e quanto alla ſanità dicono li Medici, e l'eſpe- rienza l'inſegna, che l'odore ſoave, e le ontioni, e lavande odorare, confortano il cuore, & il cervel- lo, fortificano le membra, e preſervano da morbi contagioſi.* Hinc Jureconſulti docent, artifices ex- citentes malos odores poſſe à vicinis quocunq-ue tempore expelli, ut ſupra notavimus num. 7. ex Capola *De ſervit. Urban. Præd. cap. 48 num. 6.*

Tertium remedium eſt, non permittere canes, aut feles, aliave domeſtica animalia ex vicinis ædibus in proprias commeare, neque propria in vicinas tranſire; ut advertit prælaudatus Zacchias d. tom. 1. libr. 3. tit. 3. q. 4. ſub num. 8. ſubdens quòd etiam conventus, & hominum frequentia, ac cœtus ſunt fugiendi, & quòd indifferenter, aut temerè unusquiſque in domum, aut collo- quium admittatur.

Quartum remedium conſiſtit in qualitate, & quantitate laudabili cibi, & potus. Cibi eſſe de- bent optimi nutrimenti, & concocti faciles, ideò
 28 qui facilè corrumpuntur, qui pravi ſucci ſunt, vel difficilis concoctionis ſunt omninò fugiendi; eſt enim concors Medicorum, ac Jureconſultorum ſententia, quòd qui cibis malis utuntur, faciliùs peſte inſiciantur, ut ait Zacchias d. q. 4. num. 9. & 10. & ibi Ripa part. 1. num. 16. & part. 3. num. 9. ubi illud notabile, quòd ſcribit Unzer libr. 1. *Antider. peſtil. part. 2. diſt. 3. Medic. 5. num. 2.* Lampretas nimirum tempore peſtis fre-
 29 quenter cometas, innata vi contra tam diram luem maximè efficaces haberi; & quòd notavit Arelſius libr. 5. *Impref. 146. num. 1.* ex Piero Va- ler. libr. 22. pullos columbarum eſſe cibum opti- mum ad præſervandos à peſte. Vinum autem ad potandum debet eſſe odoris jucundi, & medio- cris potentia ex eodem Zacchia d. q. 4. num. 11. qui num. 12. exclamat, Aquamvitæ tempore pe-
 30 ſtilenti omninò noxiam eſſe, ex manifeſta ratione, cùm hepar, & ſanguinem incendat, ac humores acuat, & exurat. Quo verò ad quantitatem tum cibi, tum potus mediocritas eſt ſervanda: teſtan- tur enim Medici, longum jejunium, aut præter morem toleratum ſummopere obefſe; prontè con- tra comedentes, ſeu bibentes cum exceſſu cru- ditates generare, ac obire, quamvis Savonarola

do scrib. cap. 9. rubr. 1. asserat observasse in tribus, aut quatuor pestilentis, quod pauci bibuli mortui fuerint.

Quintum remedium respicit moderationem servandam in somno, nam nimis officit; sed & superflua vigilia obest. Corpus quotidie ab excrementis congestis liberandum; quod si sponte non operetur, leviori aliquo leniente, aut potius ipsis cibariis alvum mollientibus id procurandum; fortia enim, & frequentius usurpata medicamenta sunt abdicanda ex eodem Zacchia d. libr. 3. tit. 3. q. 4. num. 14. qui addit num. 15. coitum ab uni-

versis Medicis, tempore pestis mirum in modum vituperari, prout à Ripa d. part. ult. partic. 1. n. 9. & à Prævidell. part. ult. part. 15. n. 4. Siquidem præcipiunt omnes non modò in parte, sed in totum esse à Venere abstinendum; imò addunt, meretrices eo tempore esse à civitate arcendas, non solum ex timore contagionis, sed quia incitamentum sunt ad opera venerea, à quibus tunc temporis summum in modum homines debent abstinere.

In aliis quoque civilibus operibus, ac exercitiis mediocritas laudatur excessus reprehenditur; in illis præcipue, quæ sanguinem magnopere calefaciunt, & acuiunt; ea ratione quia poros rarefaciendo, & maiorem respirandi necessitatem dando, in causa sunt, ut multò plus circumambientis aeris in corpus subeat, quàm oporteat; in pestilenti autem constitutione maximè confert, quantò minùs fieri potest, respirationis necessitatem augere; nam quantò minùs inspiratur aer corruptus, tantò minùs nocet ex Hippocrate de Natur. humana.

Sextum remedium est, animi passiones moderari; ideò metus, & tristitia sunt præ omnibus abdicanda; nam mediculosi præ omnibus pestem facile incurrunt. Ripa d. part. 1. num. 15. & Zacchias d. lib. 3. tit. 3. q. 4. num. 18. & 19. prudenter suggerens, non esse de morte timendum, nisi in ordine de animæ salute; & in Deo sperandum, ut profitebatur Job. 13. 15. dum aiebat: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Addens tandem ex Plutarcho in libr. de Musis. esse hilariter vivendum cum paucis, sed honestis amicis; & ex

Unzer in antidot. pest. libr. 1. part. 2. dist. 3. med. 5. num. 6. mundum corporis cultum esse servandum, & vestes sæpiùs immutandas. His, & antecedentibus remediis ad stipulatur Cornelius à Lapide in Commentar. Exodi cap. 9. vers. 3. ex Matheo Ficino Epidemiar. antidot. cap. 3. & seqq. italoquens, & remedia assignans, videlicet: *Fugam aeris infecti, recreationem, & latitiam, cibum solidum, potumque roborantem cor, & spiritus; cavere à cibis, qui facile corrumpuntur, & putrescunt; purgare sæpe humores putrescentes per aloem, myrrham, & crocum; uti theriaca, Zedoaria, citro, suffumigare juniperum, terebinthinam, thus; vestes crebrò mutare, & mundas induere; os, & manus sæpe ablueri aceto, & aliquando vino potente.*

Hæc hucusque dicta remedia sunt præservativa ad tuendam sanitatem tempore pestis; sed nunc aliqua assignari possunt, quæ facilia sint ad sanitatem recuperandam pro peste infectis, & quando carbunculi, seu bubones surgent in membris Duo hic recensenda duxi, relata ab Aresio Episcopo Tortonen. lib. 6. Impres. 190. num. 62. ubi loquens de remediis sanandi pestiferos carbunculos, & bubones ita scribit: *Io ne addurrò solamente due, per essere facilissimi. Il Primo è di frumento masti-*

cementa sopra del carbone, rimedio lodatissimo dal Massa tract. 3. cap. 8. Il secondo di note vecchia, pur masticata, delle quali dice Dioscoride, Veteres nuces masticata, & applicata sanant citissime gangrenas, carbunculos, & fistulas lacrymales. E P. Augenio cap. 10. libr. 8. de febribus, ne forma un empiastro, che somnamente loda in questa maniera. 1. Nucleos tres nucis juglandis veteris, ac rancide, Ficum pinguium, Ovarum passularum expurgatarum, singulorum æquales portiones; coquantur simul in vino albo, & generoso, quale est creticum, aut moscatum, donec cataplasmatibus (hoc est d' empiastro) crassitiem acquirant; atque in fine decoctionis addito salis minutissime contriti 3. 11. & cum refrigeratum fuerit, vitellos duos ovorum. Hucusque Episcopus Aresius, qui etiam commendat ex Medicorum dictis, remedia vim sudorem promovendi, & expellendi habentia; & se diffundit in examinanda famigerata illa Quæstione, an tempore pestis, pestiferatis expediat secare venam, & sanguinem minuere? circa quam varias refert Medicorum opiniones, regulas, ac limitationes in d. libr. 6. Impres. 190. cap. 4. & 5. à num. 52. & seqq. à curiosis videndas; circa quas ipse Episcopus Tortonen. amplectitur negativam, ostendens pluribus peste, aut pestilentialibus febribus infectis, statim ac sanguis diminutus fuit à Medicis, aperta vena, mortem oppetere contingisse.

Porro antequam ad remedia supernaturalia trans-eamus, ne videamur oblitri Parochorum, aliorumve simplicium Sacerdotum, quos oporteret Oleo Sacro pestiferatos inungere, dicamus hic summam, quibus remediis ipsi uti debeant, ne morbo lethali, ac contagioso afficiantur. Igitur Primo, curet Sacerdos administraturus Extremam Unctionem peste infectis habere vestes breves, & ita eas ad se collectas, ut quàm maximè potest, non tangent infirmum, neque ejus lectum. Secundo, si possibile sit, faciat ponere infirmum in loco puro, & libero. Tertiò, non se statuat inter ignem, & infirmum. Quartò, muniat se præservativis judicio Medicorum, & præcipue odoramentis, quæ cor, & cerebrum confortant, de quibus actum est supra. Quintò non ungat sensus infirmi pestiferati proprio digito, sed virga oblonga, lignea, vel argentea, apposito in extremitate illius bombycem bene alligato, Oleo Sancto intincto, quem bombycem, ac virgam ligneam igne postea comburet, argenteam verò benè purgabit ob reverentiam Sacramenti, ut docent Chapevilla, Sylvius, Viçorellus, Marchinus, Præpositus, Maucinus, Barbosa, quos citat, & sequitur Diana antiquus part. 3. tract. 4. res. 166. & part. 5. tract. 3. resol. 79. Quæ nunc existunt in Diana Coordinato tom. 2. tract. 4. resol. 34. & resol. 35. Quibus consentiunt Gobatus tract. 8. Theol. exprim. num. 902. & 903. Magrius in Hierolexiæ. Verb. Oleum Sanctum, ac Bisillus in Hierurg. Sacra Verb. Minister Sacramentor. num. 171. §. 34. idcirco quæ videntur à me dicta in contrarium de Venerab. Eucharist. Sacrament. Decis. 61. num. 28. sunt intelligenda de Sacro Viatico porrigendo super paginam, vel cum cochleari, non autem de ungendo infirmo peste infecto, Oleo Sacro, cum virgula oblonga, ut dixi etiam supra Decis. VII. num. 14. Sextò, ad hoc Sacramentum Extremæ Unctionis ministrandum peste infectis non appropiet Sacerdos jejuno stomacho, & præ-

& præcipue, ut advertit Gobatus *tract. 4. n. 412.* declinet halitum ipsius infecti. *Septimo*, si aliquo modo tetigerit manu infirmum, vel ejus suppellectilia, statim lavet manus aceto, vel eam purget super prunis accensis, vel flamma candelæ; ut dixi *d. Decis. 61. de Euchar. num. 35.* Octavo super omnia abstineat à donariis, nec recipiat rem quamcunque ab infirmo infecto, vel ab ejus domesticis, aut assistentibus, siquidem contagionem è contactu incurret, ut ostendi *d. Decis. 61. de Euchar. num. 36. & 37.* exemplo famuli R. P. Joannis Mariæ Montisrubei, exemplarissimi Sacerdotis Congregationis Oratorii hujus civitatis Paduæ in peste *Anni 1631.* Consimiles eventus tragicos ex avaritia provenientes narrat Bagatta in *Admirand. tom. 2. libr. 2. cap. 1. in Append. post §. 9. num. 24.* ubi scribit Confratres Sodalitii S. Eligii in Bechuniz oppido Belgarum, sepeliendis defunctorum infectorum cadaveribus dedicatos ab omni contagione pestis præservari meritis ejusdem Sancti: at si quæ diripiant è domo infecta, avaritiæ studiosiores, quam officii, & charitatis, lethalem luem contrahere. Hæc sunt remedia naturalia, quibus si Curæ animarum, aliive Sacerdotes seipsos juverint, tempore pestis (quam Deus dignetur avertere) periculum contagionis, ipso Deo adjuvante, evitare facile poterint.

Supernaturalia remedia restant explicanda, à quocunque fidelium adhibenda contagioso in conflictu. Hæc sunt, intercessio humilibus precibus imploranda tum Augustissimæ Virginis, ac Matris DEI MARIÆ; tum aliorum Sanctorum, præcipue S. Sebastiani, S. Rocchi, ac S. Cajetani. Deiparam, ac Sanctos in cælo nosse necessitates orantium ad illos, per intuitum essentia Divinæ, in qua tanquam speculo voluntario perfectissime repræsentantur ipsis omnia, quæ ad quemque spectant, quam per specialem revelationem, nec non per relationem Angelorum ultrò citroque commutantium; ac etiam per propriam inspectionem, certum est, & de fide, ut differunt Theologi, qui agunt de gloria Sanctorum; & compendiosè probat Tirinus in *Indice Controvers. Fidei, contror. 30. num. 9.* Igitur ad Deiparam Virginem, grassante peste, precibus, ac supplicationibus est adeundum. Ita factum fuit in peste illa universali per Orientem, imò per totum Orbem, quæ contigit Anno Christi 544. qui fuit XVIII Justiniani Imperatoris; de qua ita scribit Cornelius à Lapide in 2. libr. Reg. cap. 26. sub vers. 16. Remedium fuit, imploratum B. Virginis auxilium, quo lues extincta est, unde in memoriam tanti beneficii Greci instituerunt Festum Purificationis B. Virginis nuncupamus die 2. Februarii. Concordat Eminentiss. Cardin. Baronius in *Martyrol. eadem die;* & in *Annalibus d. Anno 544. num. 10.* Ad eandem intercessionem gloriosissimæ Virginis Matris Dei refugit S. Gregorius Magnus, grassante morbo: ut memorat in *supracit. libr. 4. Dialog. cap. 36.* subdit enim idem Cornelius à Lapide *d. libr. 2. Reg. 26. 16.* Simile contigit in peste Romana, quæ Pelagium Pontificem sustulit; ad quam sedandam S. Gregorius publicas litanias ad Basilicam S. Petri instituit, ipseque gestabat imaginem B. MARIÆ à S. Luca depictam.

Hujusmodi Imperatricis cælestis, fidelem populum ejus opem implorantem, dum pestilentia

tereretur flagello adjuvantis, exempla innumera leguntur in Historiis; sed duo tantum me hic referre delectat, liberatæ scilicet inclytæ Venetiarum Civitatis, grassante lue Anno 1631. nec non hujus Urbis Antenoreæ Anno 1576. Primum desumo ex aureo calamo Joannis Palatii Veneti, olim Juris Pontificii Professoris in hoc publico Gymnasio Patavino; qui in Fastis Ducalibus ad Nicolaum Contarenum Venetum Ducem XCVII. d. Anno 1631. ita scribit: Lue ad Venetos pervagante, Urbs ferè concidit tota, abissetque in sepulchrum, ni VIRGO MATER pensili lychno, quinquaginta auri pondo, dono recepto descendisset Auxiliatrix. Templum etiam Sospitrici positum, ad miraculum sub titulo MARIÆ SALUTIS: juxta quod suis molibus vilesceret Memphis. Et paulò post idem eruditissimus Auctor prosequens elogium, ditissimo stylo, adinstar Thesauri, latius narrat & pestilentia stragem, & beneficium salutis à Deipara obtentum, post Reipublicæ Venetæ vota, ita dicens: Venetiis solummodo virorum assumpta supra sexaginta millia; in Orbibus Reipublicæ supra quinquaginta millia hominum. Tanto in discrimine, presidium sibi in Deo statuens, Templum Princeps vocit DEIPARÆ sub auspiciis SALUTIS, in Basilica D. Marci congregatis Civibus, ubi ex pulpito (in quo ostendi solent populo electi Duces) Princeps ipse vocibus, & lacrymis penitentia, Misericordiam sollicitavit supernam, evocatâ in Patrona Virgine Matre, cui pro donario Lychnum obtulit aureum, qui in Aede Lauretana arderet inextinguibilis. Templum in Urbe, cujus primum Lapidem, post restitutam salutem, die 21. Novembris 1631. Princeps ipse, comite Senatu, posuit, Monumentum pietatis, quæ nos visitavit Mater Misericordia. Hucusque Palatius.

Liberationem hujus Patavinæ Urbis à contagioso morbo, Anno 1576. ex Piissimæ Virginis, ac Matris Dei clementia, indicat matremorea Tabula in Templo Carmelitarum muro affixa penes ostium, per quod è Cœnobio aditus est in ipsum Templum, ita contestans: Veneranda Sanctissima Dei Matris Imago, quæ in majori Ara hujus Ecclesie conspicitur, olim sub porticu penè Aulam Illustrissimi Præfecti posita erat, vorivisque tabellis quamplurimis venerabilis reddebatur. Anno autem Christi MDLXXVI. grassante pestilentia per totum Venetorum Imperium, præcipueque Venetiis, & Pataviæ Sanctissima Virgo Advocata nostrapiis Viris adm. Rev. Patri S. T. D. Felici Zuccolino Patavino Sacri Ordinis Carmelitarum in Provincia Veneta Administro; atque Illustrissimo Senatori Veneto, ac Præfecto Pataviæ Aloysio Georgio (qui postea fuit Divi Marci Procurator) per quietem indicavit, eam Imaginem ex loco minus celebri in hoc augustissimum Templum transferendam, postque ejus translationem, pestem & Pataviæ, & Venetiis esse cessaturam. Quamobrem die XII. Octobris ipsa translata est, statimque capite abire pestilens morbus, ac brevi temporis spatio loca omnia, Imperio Veneto subiecta, ab ea contagione sunt liberata. Sequitur in eadem Tabula narratio Voti hujus Civitatis visendi quortannis in die festo Purificationis hanc Immaculatæ Dei Matris Imaginem; & donariorum, quæ eadem Civitas ipsi fecit; quæ referuntur etiam à Portenariis De Felicit. Padua libr. 9. cap. 29. Suscipe prudens Lector pietatem, ac sanctitatem Superiorum PP. Carmelitarum, tum Senatorum Venetorum Regentium Paduam, dum his, & il-

lis DEIPARA dignata fuit innuere sui ipsius Sacrae Imaginis in Templum suum translationem; & totius status Veneri à contagiosa labe liberationem. Ex profapia prælaudari Aloysii Georgii tunc hujus Urbis Præfecti, nunc extat Illustrissimus, ac Excellentissimus Gabriel Georgius Senator Venerus sapientiâ, prudentiâ, ac probitate conspicuus, Divique Marci Procurator, Nepos ex Sorore Eminentissimi, ac Reverendissimi, Sanctæ memoriæ, Gregorii Cardinalis Barbadici, olim hujus pariter Civitatis piissimi Antistitis, cui ego, etiam exiguus, per Annos 30. in officio Auditoris, ac Vicarii Generalis deservivi.

Post Sanctissimæ Cælorum Reginae protectionem, tempore pestis pro remedio implorandum est auxilium Divi Sebastiani Martyris, de quo narrat Paulus Diaconus *libr. 6. cap. 2. de Gestis Longobard.* quod circa Annum Domini 682. cum Pestis adeo depopulata esset Ticinum, ut civibus inde fugientibus, herbæ, & frutices enascerentur in plateis, revelatum est quibusdam viris, non prius pestem abituram, quam S. Sebastiani Altare in Basilica S. Petri construeretur. Quod cum esset executioni demandatum, lues illa quievit. Hoc idem antecedenti sæculo factum fuisse narrat Eminentiss. Cardin. Baronius Anno 580. quando Pestis grassaretur Romæ, ac per alias Italiæ civitates; nam erecto Altare in honorem S. Sebastiani Martyris in Ecclesia S. Petri ad vincula, pestis illa omnino cessavit. In ipso Altare ego celebravi Anno 1670. in festo ejusdem Sancti, & oblationem, ejus nomine intra Missarum Solemnia, recepi unius aurei calicis, ac patenam à Magnificis Decurionibus Almæ Urbis devotissime impensam. Anno à Christo nato 1599. Ulyssipo tota ardebat pestilentia: sed ecce Simulacrum Divi Sebastiani Martyris guttis, ac sudore amplissimo irrigatur; quo divulgato miraculo concurrunt & sani, & peste infecti, hique prædicto sudore miraculoso se inungunt, statimque incolumes evadunt, nec amplius pestis grassata fuit; ut fusiùs ex probatis Auditoribus narrat Bagatta *de Admirand. Orbis Christi. d. tom. 2. lib. 2. cap. 1. §. 6. num. 19.* nec non *libr. 5. cap. 2. §. 9. num. 24.*

Porro non minus pia, quam curiosa potest esse alicujus interpellatio, cur Divo Sebastiano Martyri datum sit à Deo tueri sibi devotos à pestilentia, eosque à tam duro flagello Divinæ justitiæ, vel præservare, vel sanare? Respondet Aresius Episcopus Tortonen. *supracitatus libr. 4. Impres. 67. num. 31.* ex Dei beneficentia concedi Sanctis suis, ut cæteris excellent in adjuvando nos ipsos mortales in illis passionibus, seu doloribus, quos ipsi fortiter sustinuerunt in hac vita pro confessione fidei, & Dei amore. Hinc excellens est S. Nicolaus adversus maritimas tempestates, S. Antonius Abbas adversus ignem, S. Blasius adversus gutturi morbos, S. Lucia oculorum, S. Apollonia dentium S. Agatha mamillarum; & alii adversus aliorum membrorum afflictiones, quia illas mer, ut dixi, in seipsis fortiter pro Dei gloria passi fuerunt. Modò S. Sebastianus passus est sagittas, quibus impio Diocletiano jubente fuit transfixus. Lues pestifera, ac contagiosa est sagitta Divinæ justitiæ, qua ferit, & transigit peccatores, testante Divo Gregorio *in cit. lib. 4. Dialog. cap. 36.* quod in pestilentia sui temporis visibiliter videbantur sagittæ à celo projectæ, quibus mortales transfixi remanebant lue infecti, &

moriebantur. Has igitur sagittas pestilentialis morbi cohibere, & divertere valet S. Sebastianus ob particularem excellentiam, & specialem gratiam sibi à Deo concessam, in præmium illorum vulnerum, quæ sagittis illatis, patienter tulit in suo corpore, cum adhuc viveret inter mortales, juxta illud: *Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, mercedem laborum ego reddam vobis.*

Hæc eadem est causa, ob quam etiam S. Rochus Confessor excellat in liberandis à peste fidelibus, qui ad ejus auxilium tanquam ad potens remedium confugiunt. Siquidem hic Sanctus non solum pro Dei amore, dum peregrinaretur Romam¹⁴ versus, servivit peste infectis; sed etiam domum suam reversus, præter alia tormenta fortiter superata, etiam morbum pestilentialem subiit, & læto animo sustulit, ut habetur *in Martyrol. Romano die 16. Augusti*, ac pluribus citatis auctoribus de eo scribit Ribadeneira *tom. 2. eodem die 16. Augusti.* & Bagatta *de Admirand. tom. 1. libr. 1. cap. 1. §. 5. num. 71.* prout etiam *tom. 2. libr. 2. cap. 1. §. 6. num. 2.* ubi refert, quod post S. Rochi mortem, ad ejus latus inventa est tabula his verbis scripta: *Peste laborantes, & ad Rochi patrocinium confugientes contagientiam illam truculentissimam evasuros significo.* Quapropter statim ab ejus obitu ubique tarrarum altaria ipsi fuerunt erecta, capella, & ædes, ac vota appensa ob recepta à S. Rochi patrocinia tempore Pestis. In hac urbe Patavina constructum fuit Altare in Ecclesia Parochiali S. Lucie Anno 1468. ab ejus Sodalitate, quæ subinde Anno 1525. pulcherrimam fabricavit Ecclesiam ipsius nomini dedicatam, ut legitur apud Scardeonium *libr. 3. class. 13.* & apud Portenarium *libr. 9. cap. 44. pag. 493.* Celebre est votum, quod fideliter adimplent Moniales S. Petri de Padua, nobilitate, religiositate, ac pietate Venerabiles, quæ annuatim in die festo S. Rochi 16. Augusti lautissimum prandium præstant duodecim pauperibus, ob immunitatem à Peste huic celsissimo Monasterio concessam Anno 1630. & 1631. ob intercessionem, & patrocinium ejusdem Sancti Rochi.

Sunt & alii Divorum plurimi, quibus Deus concedit excellere in tuendis devotis suis à contagioso morbo; videlicet ex antiquis S. Christophorus, S. Augustinus, S. Nicolaus de Tolentino, S. Franciscus de Paula; de recentioribus verò S. Franciscus Xavierius, S. Cajetanus, & alii, quorum sollicitam opem in prædicta pestilentiali calamitate exemplis demonstrat idem Bagatta in citato laborioso, & erudito suo opere *De Admirandis Orbis Christiani tom. 1. & tom. 2.* quæ facile à studiosis reperientur in copiosissimis Indicibus operis sub nominibus eorundem Sanctorum. Et hæc dicta sint de remediis supernaturalibus tempore Pestis.

DECISIO LXXIV.

ARGUMENTUM.

Quatuor circumstantiæ servandæ à Parcho, dum ministrat Extremæ Unctionis Sacramentum: scilicet ut ipse sit in gratia, & censuris non irretitus. Sit indutus Corra, & Stola. Recitet Orationes à Rituali Romano præscriptas ante, &